

20

2. D. B. V

BIBLIOTHECAM  
MAGNIFICI. AMPLISSIMI. QVE  
SENATVS. LIPSIENSIS

EX. DECRETO. EIVS  
BONAE. MENTI

IAM


DEDICANDAM. ATQVE. APERIENDAM. FORE  
INDICIT

GOTTFRIDVS. CHRISTIANVS. GOETZIVS  
PRAETOR. ET. BIBLIOTHECARIVS





LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
DÜSSELDORF



quam enim  
emigra  
tione in  
suis & h  
Germani  
nam a  
tandem  
quam di







Um multa numerare liceat

egregia & singularia, quae Lipsiae nostrae celebritatem quandam ac famam asseruerint; tum hoc vel maxime albo notari lapillo meretur, quod rei librariae ergo jam olim ipsi accessit, & praesenti quoque aetate plurimis modis amplificatum est, in signe decus atque ornamentum. Post-

quam enim avitis sedibus suis extorres Musae in regiones nostras commigrassent, obviisque ulnis exceptae domicilium sacrariumque in hac urbe sibi fixissent longe gratissimum, praeter alias utiles & honestas artes Impressoriam pariter, quae per cultiorem Germaniam hinc inde disseminabatur, ad se invitare, inque familiam adsciscere suam haud neglexere. Factum id esse deprehendimus sub finem quinti supra decimum seculi: serius certe, quam divinae artis postulabat necessitas. Ast quam primum ci-



vitae donata esset haec studiorum altera mater & nutrix, dici non potest, quam frequentes invenerit, quam solertes fovorit alumnos. Quorum quidem ut jam sollicitè conquiramus nomina, nec otii nostri est, nec instituti ratio patitur. Quia tamen jucunda semper habenda civium bene meritorum recordatio, primisque insuper rerum humanae vitae conducibilem inventori- bus praemii cujusdam loco debeamus, ut illorum non abjiciatur, quae se sponte quasi offert, memoria, haud erit, opinor, cur tradamus oblivioni MARCUM BRANDT, primum artificis nomen, quod investigare licuit, sub cujus incude (a) *Albici, Archi- Ep. Pragensis & Bohemiae Regis olim Archiatri Praxis medendi &c.* A. MCCCCLXXXIV in 4. prodiit; aut GREGORIUM BOETTICHER, qui Jctorum nonnemini *Praelectiones publicas in Authent. Habita &c.* MCCCCXCIII in fol. formis suis impressas dedit. Multo minus ad tenebras venit relegandus WOLFFGANGUS MOLITOR, alias *Stoeklin* dictus, de *Monaco, Baccalaureus Erffurtensis & Civis Liptzensis*, qui (b) *do- ctorum virorum* cluit *fautor excellentissimus*, & MCCCCXCVI (c) *Priscianum* duobus libris minoris formae distinctum *Aeneae* item *Sylvii* opuscula nonnulla in 4. plurimaeque alia insequentibus annis stanno suo descripsit. Hujus suppar fuit aetati JACOBUS THANNER, seu, uti latine vocitari malebat, *Abiegnus, Herbipolensis*, magnam in autoribus veteris & recentioris aevi vulgandis laudem adeptus, inter quos *Ovidium de remedio amoris* MCCCCXCVIII & *Lucianum de vitiis omnis generis, variarumq. s. Starum Philosophorum* MCCCCXCIX excusum referre possumus. Utique cum *Virgilii Aeneida* MDV publicaret, ejusdem non minus quam urbis honori hoc tetra-stichon cecinit *Magister* GREGORIUS LATICEPHALUS de *Konitz*:

*Hoc opus Abiegnus vir doctus in arte Jacobus  
Absolvit nitidum: Lips ubi pulchra nitet:  
Lips urbes vincit studiis doctissima cunctas;  
Hic totas sedes diva Minerva tenet.*

(a) SCHENCK.  
Biblioth. med.  
p. 21.

(b) V. PETER, RA-  
VENN. Comp.  
Jur. Can. Lipf.  
A. 1506. imprt.

(c) ANDR. RI-  
VINVS de Ty-  
pogr. p. 20.

Aequa-



Æquales fere Thannero dixeris *Baccalaureum* MARTINUM LANTZBERG, itidem *Herbipolensem*, MELCHIOREM BAERNIUM, VALENTINUM SCHUMANN, omnes in re chalcographica versatissimos. Veruntamen intra incunabula sua primaque tyrocinia tum temporis substitisse judicabimus artium nobilissimam: siquidem characteribus utebatur antiquum scribendi ductum aemulantibus, multisque abbreviaturis non sine legentium taedio refertis; ad maturitatem autem roburque virile demum pervenisse, cum VALENTINUS PAPA, & quem artis suae Daedalum recte nominaveris, *Magister* ERNESTUS VOEGELINUS, *Constantiensis*, officinas hic suas aperissent. Haec enim praecipue inter reliquas tantum caput extulit, quantum cupressi inter lenta viburna, atque exterorum etiam gymnasiis typographicis, vel Aldinis, vel Juntinis, vel Gryphianis, vel Plantinianis, & si quod aliud celebrius ista vidit aetate Europa, seu aeris fusilis, tam Graeci, quam Latini, elegantia, seu curatissimae descriptionis laude nequicquam facile concessit. Ingens illa optimorum librorum brevi produxit agmen, cujus primum quasi pilum constituunt, quae JOACHIMUS CAMERARIUS, *Papebergensis*, lucidissimum Academiae hujus, quin & orbis universi politioris sidus, emisit scripta, cedro sane digna, ac propter excussonis quoque nitorem omnibus eruditis commendatissima. Quo magis itaque miramur, & MALLINCKROTIUM & CAILLIUM, qui de Typographiae ortu atque progressu data opera scripsere, hanc tam splendidam, tam praestabilem officinam silentio plane praeterivisse. Sane quanto amore complexus sit Voegelinum Camerarius, acquissimus ingeniorum arbiter, & quale pretium incudi ejus chalcographicae statuerit, vix melius quam ex ipsiusmet epistola ad GEORG. SIGISMUNDUM SELDIUM, *Consiliarium* Cæsareum MDLXIV scripta (d) cognoscemus. Est apud nos, inquit, vir cum litterarum doctrina non vulgariter instructus, tum ingenio valens, & studio industriaque

(d) L. II. Ep. 6.  
p. 116. sequ. ed.  
Wechel.



„spectatus Ernestus. Is officinam exprimendi libros typis chalcographis instituit. Adhibet autem multo majorem & delectum edendorum scriptorum & in elaborando diligentiam, quam vulgus eorum, qui modo quaestum istum frequentant, facere consuevit: atque in apparando paene fortunas facultatesque suas omnes consumsit. Tantum autem abest, ut conatus ipsius adjuventur a bibliopolis, ut, nescio qua invidia, horum ille etiam iniquitate non parum prematur. Nunc confugit ad spem propemodum extremam obtinendae defensionis & protectionis suorum operum, laborum, sumtuum ab Imperatoria Majestate, qua fretus, quae edere decreverit, tutius absolvere & minore cum periculo reliquam rem impendere, & casus omnes confidentius subire, & eventum defatigationum suarum feliciter expectare possit. Summa totius epistolae huc redit, ut privilegium Caesareum Voegelino exoraret: quo etiam impetrato explicatoribus velis is navigare, novisque subinde typis fundendis sumtus suggerere potuit. Quin & tabernam librariam simul exercuit, preli sui usum ANDREÆ SCHNEIDER, JO. RHAMBAE & JO. STEINMANNO infistoribus forte suis, qui in calce librorum nominati occurrunt, permittens, ea tamen lege, ut typorum, vel impensarum praestitarum honorifica mentio fieret, nec minus Arcae Foederis imaginem, in signe suum, illi semper praefigerent. Sub idem tempus MICHAEL LANTZENBERGER, JACOBUS APPEL, aliique operas etiam alebant typographicas: quanquam Voegeliniana officina singulis palmam praeriperet; quippe quae in filiis *Valentino, Philippo & Gotthardo* aliquandiu floruit, & Heidelbergam quoque nobilem coloniam ablegavit.

E tanta autem chalcographorum frequentia atque aemulatione aliud in patriam dimanavit commodum, non minus laetum quam uberrimum; ut, quae prae caeteris Germaniae urbibus Francofurti ad Moenum lares suos stabiliverat negotiatio libraria, huc sensim diverteret, hospitalem dextram porrigentibus



GROSSIIS & SCHURERIS, bibliopolis ista tempestate longe lateque clarissimis. Hi nimirum complures optimae notae libros typis submittendo, industria sua effecere, ut exteri, visa loci atque nundinarum solemnium opportunitate, magno concursu huc confluerent, chartaceam supellectilem quaesituri, qua eruditos populares suos quisque beare posset. Ac tamen circa medium superioris seculi, immane quantum, degenerarent prela nostra, ab illa quam modo laudavimus Voegelinianae officinae praestantia, sive bellorum calamitate istud contigerit, sive hominum vitio ac negligentia; haud ideo secius durabat nobile hoc, quod libris emendis permutandisque occupatur, commercium, non exiguo certe & urbis & literatorum emolumento. Donec tandem hac nostra aetate eousque effloruit, ut citra jactantiam affirmari queat, in universa, qua patet, Germania vix amplius, vel splendidius ullum librorum forum emporiumque existere. Ita scilicet jam a viginti, & quod excurrit, annis, ut sunt rerum vices, ad pristinam redire frugem coepit res typographica nostra, & abjectis squalidis ac furfurosis chartarum laciniis, quibus fastidium pariebat delicatioribus paulo oculis, decenti habitu, adque seculi gratiam accommodatissimo in publicum prodire. Ita formarum nitore atque elegantiae ut consulatur, ut papyri bonitas & candor non desideretur, ut ad opera aeternitatem meritura elucubranda provocentur eruditi, ut correctissima eadem luci publicae exhibeantur, multo animosius suppeditant sumtus, lyceisque magis oculis advertunt bibliopolae nostrates, quam praedecessores sui, quibus talia curandi, & ingenium forte, & patientia deerat. Neque libros domi natos pulcherrime impresos, ut teneamus, cordi habent solummodo, sed & optimos ac rarioribus quosvis, ex omnibus terrarum angulis convectos, venum exponunt, *ut tot tamque doctorum scriptorum corona cinctus, non in ea Germaniae civitate, cui nomen est Lipsia, [liceat hic H. STEPHANI verbis uti] (e) sed in illa totius Graeciae olim florentissima*

(e) quae laudat  
RIVIN. l. c.  
p. 4.



*tissima & literarum studiis atque conciliis celeberrima urbe, Athenis puta, versari tibi videaris.*

Insigne porro, idque palmarium, ad rem librariam nobis vindicandam atque augendam momentum attulisse censendus est Summus Polyhistor, OTTO MENCKENIUS, tam nostrae, quam post venturae aetati venerabile nomen: dum Ephemerides suas incomparabiles, *Acta Eruditorum*, conficiendi vulgandique sapientissimum consilium cepit. Hae enim sunt, quae, si dicendum, quod res est, typographeis ac bibliopoliis nostris, ob fluidae luis contagia quasi demortuis, animam & vitam rursus inspirarunt: quae quicquid in orbe erudito typis exscribitur, quicquid foecunda doctarum animarum mater Anglia, vel politioris literaturae sedes Belgium, vel elegantiarum arbitra Gallia, vel antiquitatum custos ac vindex Italia, vel Germania tandem nostra, omnium scientiarum Pharus, luci tradidit, aut conatur saltem egregii, mature indicant, ipsosque libros possidendi, seu stimulos addunt, seu perlegendi comparandive infinito labore & expensa doctos levant: quae denique, unanimi coetus humanioris suffragio munita, ad trigessimum hunc annum per ora virum volitant, ac Celeberr. Autoris sui famam pariter, ac Lipsiam praestantissimorum ingeniorum altricem & seminarium, quaqua versum proclamant. Institutum utique praeclarissimum! cui aeternitatem merito auguramur: cum illi continuando minime deficiant viri, & doctrinae & iudicii copia, conspicui, & qui consiliis & opera sua singula moderatur, Nobiliss. FILIUS, ut virtutis laudisque paternae hereditatem ex asse crevit, nil intermittat, quod amplitudinem ei ac honorem superaddere possit.

At enim omnia ista, quae commemoravimus, firmissima rei librariae nostrae praesidia, hoc stupendum Typographices fastigium, hunc splendidissimum librorum mercatum, hanc Ephemeridum judiciosam concinnationem, quanquam incredibili ea cedant ornatui patriae suavissimae, atque in summa felicitatis parte jure deputari debeant, multo integriora tamen atque illustriora



friora fieri Bibliothecae publicae accessione quotusquisque inficias ibit? Sic etenim iustissimum demum honorem typis nostris habuisse aestimabimur, cum descripta iisdem docta volumina nosmet ipsi cum cura asservabimus, & nostro, & sequentibus seculis, si quae erunt, usum praebitura, sic tot librorum sarcinae & plaustra bonis auspiciis huc comportata credentur, quando ingenuae pubis, civiumque excultiorum solatio partem illorum destinabimus, sic denique Eruditorum Actis certissima sua constabit utilitas, ubi indicata illic excellentium ingeniorum monimenta in publicos usus congeremus. Haud erravit mea quidem sententia (f) OSYMANDUAS, Aegypti Rex, qui *Bibliothecam officinam animi medicam*; nec (g) PATRICIUS, qui *pabulum mentis bene constitutae, animique ingenui exercitationem* appellavit. Est sane hic, quod pestilentissimos ignorantiae morbos profliget, inscitiae torporem excutiat, flagrantissimum eruditionis appetitum restinguat. Quod si ergo granaria paramus, unde, annonae caritate urgente, publicis subministrari possit necessitatibus, si gymnasia equestria & palaestras, quae corporis agilitatem cieant & promoveant; quanto magis de Bibliotheca prospicere par est ingenuis animis atque erectis, sed paupertate, librorumque penuria pressis, cum nec inter locupletiores facile inveniantur, qui quoscunque libros exquisitos & raros supellectili suae asserere valeant, aut instrumenta praebere conveniet publice, qui reipublicae olim prodesse, qui mentem expolire, amplissimumque scientiarum stadium emetiri cupiunt.

(f) DIODOR.  
L. I.  
(g) De Instit.  
Reip. L. VIII.  
Tit. 15.

Sapienter itaque & provide admodum egisse Nobilissimum Urbis SENATUM, quod ad Bibliothecae structuram jam ab aliquo tempore animum appulerit, quivis paulo cordatorum mecum consentiet. Habuimus antea Deo sacratas aedes non inelegantes, scholas haud incelebres, nosodochia capacissima, armamentarium satis instructum, totam urbem aedificiis splendidissimis exornatam, civitatem opulentam legibusque salu-



berrimis temperatam, Academiam florentissimam, solam Bibliothecam publicam, quae supplementi instar accederet, non habuimus. Omnis librorum apparatus intra paucorum privatos parietes latebat, vel publicis usibus minus patebat. Calamitissimum belli molestiae, indeque superstitis complures aliae difficultates, ne Ampliff. ORDO tale quid praeclari auderet, impedimento erant. Opportune tandem, sed insperato, hisce supervenit vir majoris virtutis, quam famae, HULDERICUS GROSSIUS, causis in foro tractandis addictus, a quo nil minus forte expectasses, quam ut huiusmodi consilium, & patriae, & universo eruditorum coetui adeo salutare, iniret. Attamen is animo secum reputans, quantum decus adhuc patria desideraret, & quam expeditam sibi ad assequendam immortalitatem viam strueret, si, cum caelebs esset, nec propinquos haberet ullos, facultates suas publicis commodis sacras efficeret; sub ipsum vitae suae exitum Prudentiff. SENATUM, testamento rite condito, heredem omnium bonorum constituit, ea saltem lege, ut bibliothecam suam inde augere, auctamque civium suorum usibus dicare vellet. Quae pia ac summis laudibus extollenda religiosissimi testatoris voluntas, cum displicere haud posset Patribus, ad promovendum urbis honorem sponte sua pronis, hereditatem non modo adiverunt, sed Bibliothecam quoque relictam, ut pretiosissimum cimelium, & fovere, & amplificare omnibus modis, & in pulcherrimum hunc statum deducere sollicitissime curarunt.

Spatiosissimus hic nobis aperitur disserendi campus, quem priusquam ingrediamur, pietatis nostrae erit, ut munificentissimi conditoris ortum & vitam brevibus verbis enarremus. Atque is quidem hic Lipsiae d. 28. Decembr. A. R. O. MDCV. susceptus est parentibus ignobilibus & plebejis, patre videlicet GOTT-HARDO GROSSIO, acupictoriae artis perito, matre vero CATHARINA, *Bartholomaei Mellini*, Sartoris, filia. Majoribus tamen gloriari potuit, & stirpis vetustate, & munerum ampli-



plitudine clarissimis. Ipse enim HULDERICUS noster, in  
 confectis a se stemmatis sui tabulis, REINFRIDUM quendam lau-  
 dat Ungarum, qui regnante LUDOVICO Bavaro Imp. circa A.  
 MCCCXL in Misnia sedem fixerit, nepotemque habuerit co-  
 gnominem, qui Fribergae, urbe metallifodinis maxime inclyta,  
 consulis dignitatem obivit. Huic filios assignat DONATUM,  
 multis Canonicatibus atque Consilarii intimi, apud gloriosissi-  
 mos Patriae Patres, GEORGIUM & HEINRICUM, Saxo-  
 niae Duces, gesto munere illustrem, A. MDXXXVI defun-  
 ctum; JOANNEM & HULDRICUM, ambos fascibus  
 consularibus Fribergae administratis celebres. Hic postremus  
 tertium supra centesimum aetatis annum vivendo explevit A.  
 MDLXI fatis functus, nepotemque ex filio *Valentino* vidit sui  
 nominis, miris fortunae lusibus exercitum, parentem *Gottbar-  
 di*, de quo supra. HULDERICUS vero noster prima literarum e-  
 lementa imbibit in schola, quae a S. Nicolai aede nomen accepit.  
 De hinc parentum jussu A. MDCXIV Schleusingensem, inde  
 Misnensem scholam, ut honestis artibus ac disciplinis animum  
 magis excoleret, adivit. Antequam autem patria discederet,  
 civium Academicorum numerum auxit Rectore Magnificentiss.  
 IOANNE PHILIPPO, Saxoniae Duce Serenissimo. Huc  
 A. MDCXXIII redux factus in Philosophicis scientiis  
 HARTRANFTIUM & CLEINIUM; in Iurispruden-  
 tia vero FINCKELTHUSIUM, SCHMUCKIUM & BO-  
 HEMUM, viros doctrinae laude excellentissimos, praeceptores  
 fortitus est. Triennio exacto Rostochium abiit, studiorum  
 cursum impigre ibi continuaturus, ubi & a TOELEMANNI,  
 WARMUNDI, HEINILSTURZII & LINDEMANNI,  
 Doctorum Juris perquam celebrium, ore ac moderamine pependit.  
 Praeterea quoque PETRI & GULIELMI LAU-  
 RENBERGIORUM medicis, itemque FRABRICII cu-  
 jusdam chymicis lectionibus frequens interfuit; In Mathesi  
 autem JUNGIUM, atque in militari cum primis Architectura



JO. LAURENBERGIUM sedulo audivit. Post Lipsiam  
 refalutans A. MDCXXVIII medica studia porro prosequutus  
 est sub ductu JO. MICHAELIS, practici felicissimi, quibus  
 & Theologica sociavit, Celeberrimi HOEPFNERI subfelliis  
 adhaerens. Haud ideo segnius tamen Jurisprudentiam tracta-  
 vit, quin potius asfiduam ei operam impendit, ita ut in Catalogo  
 Librorum, qui Nundinis Vernalibus A. MDCXXXII hic pro-  
 diit, publici juris se facturum promiserit 1. *Justinianum redivi-  
 vum*, in quo ad Institutionum seriem singulos Paragraphos regu-  
 lis, exceptionibus, replicationibus, duplicationibus &c. illustrare  
 voluit. 2. *Actionum Juris Civilis arborem*, quarum numerum ad  
 duo millia extendit. 3. *Concordantias Jurium*. 4. *Centuriarum  
 de Ratione Juris Septenarium primum*. 5. *Tractatum de Axio-  
 matibus*, in quo decem millia Philosophica, ac septingenta tria su-  
 pra ducenta millia Juris, cum limitationibus suis, compingere de-  
 creverat. Sed consilium istud postea abjecit. Causis simul in  
 foro orandis animum adplicuit, qua in re multum sibi profuisse  
 CASPAREM JUNGERMANNUM & MATTHI-  
 AM BERLICHUUM grato pectore notavit, quin & istorum  
 suasu tabellionis publici dignitatem capeffivit, delecta sibi insi-  
 gnis loco Lucerna, cum Lemmate: *Aliis inserviando consumor*. Ve-  
 runtamen cum, irruentibus tum belli tempestatibus dirissimis,  
 Aстреae cum Marte vix satis bene convenire posse intelligeret  
 HULDERICUS, Hygieiae sacris ardentiori studio se iterum  
 commisit, & quidem illi parti, quae Chirurgia vocatur, cujus pe-  
 nitius addiscendae causa Helmstadium ad celebrem in hac arte  
 magistrum Jo. Robrmannum A. MDCXXXII se contulit,  
 apud quem intra quadrimestre ita profecit, ut vel periculosissima  
 vulnera, in praefato oppido non minus, quam in Guelphorum ar-  
 ce & castris ad Hamelam positis, curanda suscipere posset.  
 Quemadmodum & insequente anno cum patriam repeteret, Li-  
 teras testimoniales, acquisite in Chirurgica peritiae, sigillo Aca-  
 demiae & Senatus Helmstadiensis firmatas, obtinuit. Ab illo  
 tem-



tempore Lipsiam semper incoluisse apparet, imprimis ex quo a Curia suprema Electorali Advocaturam Fisci obire iussus esset, sicuti & A. MDCXLI dissertatione, sub praesidio D. MICHAELIS CRONBERGKII de *Advocatis* publice defensa, profectuum suorum in Jure luculentum specimen exhibuit. Honores nunquam prensavit, sed sua sorte contentus vixit, illud (h) COMINAEI in ore habens: *Nibil est praestabilius mediocri vivendi genere, quod qui potest assequi & tueri, is omnium certe est felicissimus.* Reliqua, quae animum ejus & mores vitaeque exitum attinent, non nostro, sed alio, eoque tersissimo penicillo, delineata dabimus. Erat ingenio acri, callido & ad indagandum sagacissimo, praeterea imperterritus animo, facundia non vulgari, laborum patientissimus. Ardebat cupiditate quarumvis rerum notitiam acquirendi, cuius testis est ingens librorum copia, quos ipse de rebus physicis, medicis, oeconomicis, mathematicis, theologis, juridicis, philosophicis, pacis bellique artibus, variis item lingvis, Polonica, Bohemica, Gallica, Italica, Germanica, Danica conscribere incepit, in quorum plerisque non nihil profligavit, non paucos omnino perfecit, aliquos inchoatos reliquit. Severitas inerat in vultu, moribus utebatur non ad seculum compositis, praeferam potius ac vere Germanam simplicitatem referentibus. In sermone studebat dictis brevibus & falsis, imprimis in portu- ne alloquentes acerbitate verborum perstringere solitus. Statura erat mediocri, corpore gracili, facie oblonga, oculis acribus, capillo & barba tenui, voce acuta, cibi minimi & vulgaris, vini natura parcissimus. Uxorem nunquam duxit &c. Sane- tatem corporis usque ad ultimum habuit prosperam, jam inde a juventute nullo morbo appetitus, nisi quo tandem confectus est. Annum agens alterum supra septuagesimum difficulter alvum continuit, quod ipsum quidem anni tempestate, quae ver iniens erat, tribuere audivi, sed viribus corpusculi exhaustis decumbere coactus est. Vitae finem instare sentiens praetorem urbanum ad se arcessivit, & de facultatibus suis, ut supra ex-

(h) L. X. Com-  
ment. p. 682.



„posui, quid fieri vellet, solenni carmine disposuit. Obiit d.  
 „XVI Aprilis A. C. MDCLXXVII. Elatus est funere publico,  
 „comitantibus magistratibus academicis & urbanis, magna civi-  
 „um frequentia. Dignum omnino tali honore Virum! Di-  
 gnum, cujus memoria nunquam pereat, sed aeternis civium no-  
 strorum, & qui literis bene cupiunt, vigeat posteritatisque com-  
 mendetur praeconiis! Nos vero, quo HULDERICI nostri be-  
 neficium honore maclaverit Ampliff. SENATUS, jam perfe-  
 quemur.

Primum quidem in ipsam Justitiae atque aequitatis arcem,  
 Curiam nempe, Bibliothecam ipsius transferri jussit. At cum lo-  
 cus ibi deprehenderetur angustior, quam ut plura admittere  
 posset incrementa, alium in summe edita urbis regione, supra  
 civitatis armamentarium, illi quaesivit. Romanorum exem-  
 plum hac in re quodammodo secutus, qui Herculem & Musas  
 communi ara atque aede colebant, (h) & templum Herculis Mu-  
 sarum in circo Flaminio, Fulvio Nobiliore autore, struebant, *Mu-  
 sas sub tutela fortissimi numinis consecrantes, ut res, quae a mu-  
 tuis operibus & praemiis juvari, ornarique deberent: Musarum  
 quies defensione Herculis, & virtus Herculis voce Musarum.* (i)  
 Vel SIXTUM V Pontificem imitatus, quem Vaticanam su-  
 am, toto orbe decantatissimam, supra armamentarium, ubi &  
 hodiernum conspicitur, reposuisse constat. Locum utique in  
 tota civitate sanctissimum & Pantheon quoddam non injuria  
 vocare possis. Infra enim, ut diximus, Martis palaestra se pro-  
 dit; tum ad hoc Palladis, Musarumque templum ascenditur;  
 mox capacissimum Mercurii forum, lanificiis nempe venden-  
 dis destinatum, patet; tandemque multiplicia Cereris dona lar-  
 giter collecta profant. Bibliothecae eum locum deligi suadet  
 PATRICIUS, (k) qui ad Orientem spectet, cum matutino  
 potissimum lumine oculorum acies juvetur. Haec nostra ve-  
 ro non orienti saltem, sed meridiano etiam atque occidenti ob-  
 vertitur soli, lumineque liberrimo omni ex parte collustratur.

In-

(i) PLUTARCH.  
 quaest. Rom. 58

(k) EUMEN.  
 Rhet. de in-  
 staur. schol.

(l) l. c.



Intranti atrium se offert, ad XL pedum longitudinem protensum, in quo Antlia pneumatica cum instrumentis huc pertinentibus, iusto ordine locatis, WOLFFGANGI JOECHERI, Senatoris atque Ædilis spectatissimi, donum egregium, oculos in se convertit. Supra januam, per quam in interius Bibliothecae conclave pergitur, inscriptio posita est marmorea, literis auro fulgentibus, humillimi obsequii erga SERENISS. ac POTENTISS. REGEM, Patrem Patriae & Dominum nostrum Clementissimum, cujus auspiciis hoc divino Pacis munere frui licet, aeternum monumentum. Ipsum conclave, quod CXX pedes longitudine, sed LVI latitudine aequat, duo museola, elegantissime constructa atque exornata, statim ostendit, tribusque ambu-  
 • lacris distinguitur, quorum medium XIV pedes latum patet, novemque armaria, libris recipiendis apta, ab utroque latere habet disposita. Æqualibus illa a se invicem spatiis separantur, elathris probe munita & clausa, nec altiora, quam ut exerto brachio summum plutei attingere queas. Singulis fenestris minores foruli sunt subjecti, mensarum vicem praebituri. Omnia caeteroqui visu amoena, viridique colore oblecta, cum oculis iste inprimis conducere, aciemque acriorem reddere credatur. Laquearia vero cum parietibus tectorio opere, eoque candido, incrustata apparent. Statuis atque hermis, quae bibliothecarum olim potiora ornamenta putabantur, nostra haec minime superbire potest; habet tamen sigilla quaedam e gypso non male efficta, & per plures Eruditorum, qui superiora duo secula doctrina & scriptis suis nobilitarunt, pictas imagines: inter quas B. MARTINI LUTHERI ejusque uxoris CATHARINAE BORENIAE, PHILIPPI MELANTHONIS & JOANNIS BUGENHAGII, *Pomerani*, effigies, a LUCA CRANACHIO, pictorum suae aetatis principe, admodum artificiose pictae, munus nobilissimae profsapiae JACOBI MEYERI, Ædilis quondam civitatis hujus meritissimi, e BUGENHAGII stirpe oriundae, vindicandum,

dum,



dum, eminent. Adfunt & Regum ac Principum quorundam effigies, non contemnenda arte elaboratae, quibus & aliae tabulae intermixtae. Supremum conclavis spatium occupant aliquot paria Globorum coelestium ac terrestrium, e quibus unum par mirae magnitudinis atque elegantiae, Blaviani ingenii fructus, una cum appositis duabus sphaeris armillaribus, altera ad Ptolemaicum, altera ad Copernicanum Systema adornata, Magnif. Dn. GEORGII WINCKLERI, Consulis hujus Reipubl. longe merentissimi, Patroni nostri summe observandi, nec non fratris ipsius, PAULI WINCKLERI, Senatoris primarii desideratissimique, singulari munificentiae debetur. Quod novissime hifce accessit grandioris compagis ac diametri par Globorum, P. Coronellum inventorem habet, & liberalitatis LEONHARTI ZOLLERI, Senatoris integerrimi, infigne est documentum. Sed satis jam, opinor, exteriorem Bibliothecae nostrae faciem lustravimus, opus jam ut ad interiora, & qui hic reconditi sunt, thesauros splendidissimos, pedem promoveamus, singula notabilia paucis commemoraturi.

Scilicet cum Nobiliss. ac Prudentiss. SENATUI e re visum esset, Grossianam Bibliothecam huic inferre loco, JO. SCHEFFERI cujusdam, viri non indocti & judicio Praeturae Rusticae ab actis, librariam supellectilem, philologicis & juridicis scriptis refertam, tum voluminosa illa opera, Bibliothecam Patrum & Conciliorum Collectionem, publica pecunia emta, statim adjecit. Facultates vero reliquas HULDERICI nostri quoniam ita comparatas judicaret, ut exinde lapsu temporum Bibliotheca haud mediocriter locupletari posset, eas sui ordinis viro spectatae probitatis & fidei, MICHAELI THOMAE, administrandas commisit, qui iisdem & summa cum integritatis & prudentiae laude ad septimum usque annum praefuit. Hi fontes etiam tantum suppeditarunt, ut ANTONII GUNTHERI BOESCHENII, Senatoris ac Syndici Civitatis, dum viveret, meritissimi, Bibliotheca instructissima, Historicis,  
Phi-



Philologicis ac Juridicis libris potissimum insignis, huic nostrae accederet, quod ipsum pluteos & loculos ejus mirandum in modum auxit. Succesit deinde plurimorum tam literati, quam civici ordinis, quibus singulis enumerandis dies non sufficeret, nec non advenarum nonnullorum, quos fama rei acciverat, propensio laudatissima, ad symbolam huc conferendam, vel MStis, vel impressis libris, vel alia quapiam re curiosa & rara. Quin & in disitis urbibus atque oris conquisiti sunt libri elegantiores, & prioribus superadditi, praeterquam quod in Auctionibus publicis, in tabernis librariis, sumtu non exiguo nostrum fecimus. Qua diligentia ac studio istud factum sit, vel ex eo arguere licet, quod Bibliotheca, antea bis mille libris tantummodo constans, jamjam ad quatuordecim mille assurgat, nullamque Facultatem, vel disciplinam habeat, cui opera, vel scripta rariora, & quorum maximus sit usus, deficiant. Nam ut a *Theologica* classe ordiamur, & quidem Bibliis, praeter *R. gia* illa *Antverpiensia*, & *Parisiensia*, atque *Anglicana Polyglotta*, tum *Maxima* illa, omnium fere Idiomaticum versiones biblicas atque editiones antiquissimas possidemus. Sic *Vulgata* Bibliorum translatio Venetiis A. MCCCCLXXXIII, & quae *Italico* sermone loquuntur, ibidem A. MCCCCLXXVII excusa; *Germanica* item Noribergae A. MCCCCLXXXIII per Koburgerum duobus Voluminibus impressa; tum quae *Saxoniae inferioris* dialecto sunt exarata, ac Halberstadii A. MDXXIII. edita, *Islandica*, *Danica*, *Suecica*, *Livonica*, *Bohemica*, *Ungarica*, *Wallica*, *Americana*, *Armenica*, nostri peculii sunt. Adest *Novum Testamentum germanice* in membranis A. MDXXIII typis eleganter exscriptum, & *Syriaca* illa versio, quam ALB. WIDMANNSTADIUS Viennae Austriae A. MDLVI in lucem emisit: nec ignoramus libros biblicos aliis dialectis conscriptos, quales sunt, Evangelium S. MATTHAEI & S. JOANNIS *Formosana*, & Evangelium S. LUCAE *Malaica*. De aliis versionibus, magis obviis quarum luculentum habemus numerum, nunc nihil addimus.



Superfedemus pariter recensendis *Commentatoribus biblicis*, quorum alias haud levis apparatus in promptu esset. Nec minor aestimanda erit *Patrum Collectio*, quorum praestantissimas quasque editiones latifundiis nostris aggregavimus. In libris Orientalis literaturae licuit nobis esse adeo beatis, ut ingens jam eorum copia nostra armaria adimpleat, e quibus tamen ob insignem raritatem *Sepher Rabb Alpes*, s. R. JIZCHAK ALPHIS *Compendium Talmudis* Cracoviae A. MDXCVII in f. impressum, & tribus voluminibus constans; item *Mechabberoth Immanuel* s. opera poetica R. IMMANUEIS Constantinopoli in 4. excusa; Libri *Sobar* editionem Cremonensem & *Meschal Hakkadmoni* tantum nominamus; atque ex Arabicis AVICENNAM saltem & EUCLIDEM in Medicea Typographia impressos, exempli loco proponimus. Pergendum enim ad reliquas etiam classes, inter quas *Juridica* & multitudine, & praestantia librorum, quam maxime commendanda. Non pauci hic, qui ex ANDR. KNICHENII & SAM. FICHARDI, Jctorum magnae dignationis, bibliothecis huc commigrarunt, eorumque manus prae se ferunt; nec pauci occurrunt peregrinarum legum, *Hispanicarum*, *Gallicarum*, *Italicarum*, & c. illustratores, distinctis ideo manipulis dispositi. E *Medicorum* ordine, oculos in se alliciunt *Botanici*, quorum decus omnino haberi debet *Hortus Eystettensis*, opus sane augustum inventuque, rarissimum, sed cui majus pretium conciliat vere Daedalea manus virtute ac pietate sanctissimae Foeminae, DOROTHEAE MAGDALENAE BRUMMERAE, Magnifici Viri, Dn. GODFRIEDI GRAEVII, Jcti & Consulis hujus Reipubl. excellentissimi, de Bibliotheca hac, uti de omnibus, quae summa cum laude obiit & adhuc obit, officiis, immortaliter meriti, Conjugis olim dilectissimae, quae huic horto *colorum splendorem addendo*, & *venularum quoque ramulos*, & *puncta minutula accuratissime designando*, vitam, quae adhuc deesse videbatur, *adspirare coepit*; sed operi intentam mors occupavit, idque inchoatum relinquere coegit, ita tamen ut ex illa parte, quam perfecit, divinum Foemi-

mi-



minae incomparabilis ingenium, satis superque eluceat. De *Philosophica* tandem classe, cui & *Historicos*, & *Antiquarios* & *Philologicos* libros omnes accensuimus, id dixisse sufficiat, nihil plane, vel paucissima certe, hic desiderari, quae animum discendi cupidum & delectare ex voto, & instruere possint.

Ad *Manuscriptos* igitur Codices, qui necessarium quoddam Bibliothecarum ornamentum, & supereminens quasi hodie aestimantur, consulto properamus. Eos namque ne in sua temere quis requireret, omnibus prospexit modis, nec sumptibus pepercit ullis Ampliss. SENATUS. Hinc principio statim bene multa *Juris Civilis* & *Canonici* volumina, quae membranacea, quae papyracea, cumque illis *Gulielmi Durandi* speculum *Juris*, in membrana exaratum, quae Nobiliss. Viri, THEODORICI de BUCKKINSBORFF, J. U. D. & Facultatis suae in hac alma Lipsiensi Ordinarii quondam fuerant, atque honorabili Executoris testamenti ipsius titulo A. MCCCCLXXIX. d. 28. Apr. ad se pervenerant, liberaliter huc donavit. Haec exceptit aliud opinum XX scil. praestantissimorum codicum augmentum, quos Perillustris atque Excellentiss. JACOBUS BORNIIUS, Sereniss. ac Potentiss. Poloniarum Regi atque Electori Saxoniae a Consiliis intimis, ac Consul civitatis hujus immortaliter meritus, nunc cheu! desideratissimus, Vir omni laude nostra major, sed perenni posteritatis elogio celebrandus, ut Bibliothecam nostram saluberrimis consiliis suis & beneficentia singulari fovebat, in ejus potius tabulariis, quam in propriis scriniis suis asseruari maluit. Cumque deinde Altorffinae suae non modo, sed totius etiam literati orbis praecipuum decus, JO. CHRISTOPHORUS WAGENSEILIUS, collectam a se in itineribus Rabbincorum, Graecorum, Latinorum &c. MSSorum gazam venum offerret; haud elabi sibi e manibus exoptatam adeo occasionem passus est Prudentiss. ORDO, quin potius gratisimas hujusmodi merces parata statim pecunia sibi asseruit. Sic quoque Celeberr. ACOLUTHI codices nonnullos Coranicos, sic Ve-



nerandi Lubecensium Ecclesiarum Antistitis, AUGUSTI PFEIFFERI, orientales Thesaurus ab heredibus eorum haud spernendo pretio acquisivit. Tot tantisque incrementis pulcherrima enata est MStorum congeries, quingentis jam & amplius voluminibus luxurians, quorum indicem, si Deus vitam concesserit, brevi daturi sumus. In praesenti vero extantiorum quorundam recensione nobis liceat defungi, & quandoquidem duabus clasibus distinguuntur, separatam quoque singulis operam impendemus.

Ad *Orientelem* quod attinet, principem in illa locum sibi vindicant duo codices, membrana contexti, Wagenfeiliani tabularii potiora cimelia, qui magnam sacrorum oraculorum partem continent. Primum majoris molis tum Wagenfeilius, tum Judaei ipsi, ante DC annos exaratum existimarunt. Siftit ille *quinque Mosis libros, libellum Ruth, Canticum Canticorum, & initium libelli Esther.* Textui vocales & accentus, litterisque *Be-gadkephat* lineola *Raphe*, ut vocatur, adjecta conspiciuntur. Pentateucho accedit utraque interpretatio *Chaldaica*, tum ea, quae ONKELOSUM autorem habet, tum quae *Hierosolymitanae* nomen prae se fert, a codicibus impressis passim differens; itemque R. SALOMONIS ISACIDAE commentarius, qui & ipse ab exemplaribus prelo descriptis multum abit, & reliquis etiam, quos memoravimus, libris adjungitur. Singulis Pentateuchi sectionibus singulae Lectiones propheticae iisdem convenientes subnectuntur, & ipsae R. SAL. ISACIDAE explanationibus instructae. Alter Codex *Pentateuchum* cum suis lectionibus Propheticis, *libellum Ruth, Canticum Canticorum, Ecclesiasten, Threnos, libellum Esther, Psalmos, Proverbia & Librum Jobi*, adjectis vocalibus atque accentibus, lectoribus offert. Ultimum ibi locum occupat *Megillath Antiochus*, seu *Historia fratrum Maccabaeorum*, Chaldaice conscripta, cujus pars punctis ornata, pars iisdem destituta est. Hanc necdum editam in lucem eruditi orbis proferre Wagenfeilius

titulus  
a testat  
Hebraic  
Wagen  
CIUS  
Cum du  
SIS N  
membra  
rum no  
hic sunt  
clon,  
phoras  
membra  
non adip  
mus & di  
ventus,  
seu det  
Babilon  
Carthia  
vo foed  
que de l  
guenta  
pume ce  
OTTO  
Abzorn  
vit, Nor  
sed lipu  
Eulibri  
DEN A  
Ethica  
BAR  
tempe  
causa



seilius voluit, uti ejusdem interpretatio latina huic codici inserta testatur. Est quoque penes nos haec ipsa Historia sermone Hebraico expressa, & ex codice MS. Bibliothecae Colbertinae in Wagenseilii gratiam descripta, ab illa, quam BARTOLOCC-  
 CIUS (m) in Bibliotheca Rabbinica exhibet, multum diversa. (m) T. I. p. 387  
 Cum duobus hisce Bibliorum codicibus jungendus est R. MO-  
 SIS NACHMANIDAE *Commentarius in Jobum*, in  
 membrana, ante plures quam CC annos, scriptus, & ipse libro-  
 rum nondum editorum catalogo inferendus. Nec omittenda  
 hic sunt R. ESAIAE SINUKEL *Commentaria in Pentateu-  
 chum, Josuam, libros Judicum, Samuelis & Regum, Pro-  
 phetas majores atque minores*, itemque *Psalms & Jobum*  
 membranis exarata, quae etiam ad hunc usque diem lucem  
 non adspexerunt. Multo minus hinc segregandus liber rarissi-  
 mus & diu a Christianis summo studio quaesitus, nec uspiam in-  
 ventus, in charta tamen descriptus cui titulus: *Gale Rasaiia*,  
 seu *detegens arcana*. De Auctore ejus lis est, uti ex laudato  
 Bartoloccio (n) perspicui potest, qui hunc librum praecipua fidei (n) l. c. T. I. p.  
 Christianae capita tam clare demonstrare affirmat, ut vix ex no-  
 vo foedere majori perspicuitate ostendi queant. Nihil huc us-  
 que de hoc libro excusum fuit, praeter exigua quaedam fra-  
 gmenta in *Jalkut Reubbeni* allata, quae cum hoc codice o-  
 ptime conveniunt. Edidit quidem JULIUS CONRADUS  
 OTTO, qui a Judaeis ad Christianorum castra transiit, & in  
 Altorffina Hebr. linguae professoris olim munus aliquandiu obi-  
 vit, Noribergae A. MDCV in 4. ejusdem nominis librum;  
 sed spurium esse hunc foetum, orbis eruditus jam dudum agnovit.  
 Ex libris Philosophicis commemorandus est liber ABU AHMED  
 IBN ABDALLA ALGAZIL, titulum gerens: *Mosene Zedeck*, seu  
 Ethica Arabice primum scripta deinde vero a R. ABRAHAMO  
 BAR CHASDAI in Hebraicum sermonem translata. Quae in-  
 terpretatio apud nos reperitur nondum typis vulgata. Codic-  
 ibus Hebraicis addi meretur Syriacus, magnae certe antiquitatis

1699.

(n) l. c. T. I. p.  
 726. & T. III.  
 p. 75.



in charta bombycina scriptus, qui *liturgias* continet, & Cl. W A-  
 GENSELIUM possessorem olim habuit, itemque Arme-  
 nicus *IV Evangelia* exhibens. Scriptus est in charta admo-  
 dum eleganter, & ad codices Pfeifferianos pertinet. Ex *Arabicis*  
 atque *Persicis* indicio nostro digni videntur codex maximae for-  
 mae & admirandae prorsus elegantiae, partem Corani, nempe  
 Cap. LXVII. LXX. usque ad LXXVII continens. Scriptus  
 est iussu ac sumtu Regis *Chodabendae*, qui sub finem seculi XVI  
 Persarum res moderatus est, uti praemissa docet praefatio, & re-  
 giam plane magnificentiam ostendit. Charta enim, quae bom-  
 bycina est, crassitie membranam superat, & latitudine cubitum,  
 longitudine vero cubitum unum, cum dimidio aequat. Primae  
 duae paginae tum varii generis coloribus, tum maxime auro niti-  
 dissime pictae sunt, nihilque aliud nisi haec verba inscripta ha-  
 bent: *Est certe Coranus literis conservatus veneratione dignissi-  
 mus. Ne tangant eum nisi puri. Dimissus est a Domino totius rerum  
 universi.* Quae solennis Mohammedanorum formula etiam ad  
 initium C. LXVII repetitur. Singulae paginae non plures quam  
 quinque versus inscriptos habent, quorum alter literas auro scri-  
 ptas atque atramento cinctas, alter e contra atramento expressas  
 aureisque lineis circumdatas literas ostendit. Donum est eximi-  
 um JO. FRID. GLEDITSCHII, Bibliopolae hic loci famigeratissi-  
 mi Similem Corani codicem Soltaniae in mausoleo Sultani CHO-  
 DABENDAE se vidisse narrat ADAMUS OLEARIUS. (o) Cum  
 hoc conjungi merentur alii codices, quorum alter textum totius  
 Corani Arabicum, & Turcicam illius interpretationem singulis  
 versibus interjectam, vel in ipsis regionibus orientalibus admo-  
 dum raram, alter ejusdem translationem Persicam nitide scri-  
 ptam, & Arabico textui adjectam, exhibet. Uterque ex Biblio-  
 theca ANDR. ACOLUTHI, qui eorum jam publice men-  
 tionem fecit, (p) redempti sunt. Coranum sequatur *Sonna*, seu  
 integra Mohammedanorum lex secundaria, ex dictis factisque  
 Mohammedis collecta, ut ipsa libri lectio docet. Eam ABU AB-  
 DALLA

(o) v. Itiner.  
 Persi. p.m. 477.

(p) in Specim.  
 Corani qua-  
 drilinguis Be-  
 rol. 1701. emif-  
 so.

DALLA  
 CHARI  
 scriptus  
 fore led  
 pa parte  
 quae in h  
 ppis uny  
 qui Bibli  
 similitud  
 notatum e  
 etus etia  
 iter libro  
 acus. Ara  
 dicit, qu  
 pas per sui  
 de flexion  
 lam non  
 HERBEL  
 entibus  
 mibus v  
 arabicae  
 fectae. Ro  
 quem ipi  
 eadem C  
 DORRAI  
 auctoris n  
 notum C  
 ma. Coran  
 dicitur  
 VII. ara  
 rubice &  
 fectum  
 MELCO



DALLA MOHAMMED IBN ABIL GASAN ISMAEL BO-  
 CHARI in lucem publicam protulit. Textus admodum accurate  
 scriptus, & ubique vocalium defectus difficultatis aliquid af-  
 ferre lectori poterat, iisdem instructus est. Cum codice Africa-  
 no, partem Sonnae continente, collatus multa saepius exhibuit,  
 quae in hoc plane desiderabantur. Nulla unquam hujus operis pars  
 typis impressa est, summo itaque in pretio habendus hic Codex,  
 qui Bibliothecae Pfeifferianae debetur. Sonnam ob argumenti  
 similitudinem comitetur SOLIMAN AFENDI, scriptis ad-  
 modum clari, *Doctrina Juris divini & humani* arabice scripta,  
 cujus etiam liber de *Attributis divinis* nobis in promptu est.  
 Inter libros Grammaticos est AZIZI GIRAIJAE liber, quem de  
 totius Arabicae linguae natura conscripsit, & in quinque partes  
 divisit, quarum prima nominum, altera verborum significatio-  
 nes per subjectas voces Persicas exponit, tertia de particulis, quarta  
 de flexione nominum, & quinta de flexione verborum agit.  
 Eum non in vulgus notum esse, ex eo colligimus, quod nec  
 HERBELOTIUS, nec HOTTINGERUS in Bibliothecis suis ori-  
 entalibus ejusdem mentionem faciant. Praeter hunc in nostris  
 manibus versantur duo Codices *Caphiae*, hoc est, Grammaticae  
 Arabicae ab ABU AMRU, *filio* OTHMAN, *filio* HAGJEB con-  
 fectae, Romae A. MDXCII sed arabice tantum in lucem emissae,  
 quam ipsi Arabes plurimi faciunt; Itemque duo Commentarii in  
 eandem Caphiam conscripti, quorum alter satis prolixus AB-  
 DORRAHMANEM GJAMIUM auctorem habet, in altero vero  
 auctoris nomen non est expressum. Grammaticorum & simul o-  
 mnium Codicum Arabicorum turmam hac vice claudat *Giari-  
 mia*, Grammatica ab Arabibus magni aestimata, cujus exemplum  
 caractere Africano scriptum est. Primum illa Romae A. MD  
 XCII arabice, deinde per KIRSTENIUM Vratislaviae A. MDCX  
 arabice & latine, sed propter codicum, inopiam admodum imper-  
 fecte, tandem vero longe melius per ERPENTIUM Lugd. Bat. A.  
 MDCXVII edita fuit. Autor illius habetur ABI ABDALLA MO-  
 HAM-

HAM-



HAMMED *filius* DAVID IZZANHADIAE, qui etiam librum de *Attributis Divinis* conscripsit. Inter libros *Persicos* sunt scriptum maxime decantatum, quod ANDR. du RYER gallice, FRIDER. OCHSENBACH germanice, sed uterque admodum imperfecte; AD. OLEARIUS iterum germanice, sed melius, & GEORG. GENTIUS persice atque latine, suisque simul observationibus illustratum Amstelodami A. MDCLI in lucem emisit, nempe MUSLADINI SADI *Rosarium Politicum*, cujus duos codices posidemus, ex quibus unus A. Hegirae DCCCCLXII hoc est Christi MDLXXXIV scriptus est. Praeter hunc librum posidemus HAFIZ, unius ex principibus Poëtarum Persicorum, uti Olearius (q) docet, *carmina* pulcherrime scripta; nec non ABDORRAHMAN IBN AHMED GIAMII, celeberrimi Poëtae Persici, qui A. Hegirae DCCC LXXXVIII, hoc est Christi MCCCCX diem obiisse dicitur, carmen Persicum, de *amoribus Josephi & Zoleikae*, cujus HERBELOTIUS in voce *Gjami* quoque meminit.

Superfunt adhuc multo plures Codices Orientales, quippe quorum numerus vix CC absolvitur. Sed avocat nos ab iis *Occidentalis* clas- sis, in qua familiam ducunt MSta Graeca, pauca quidem, attamen non contemnenda. Inter ea extant S. CHRYSOSTOMI *Homiliae in Genesin* a cap. XIV usque ad C. XXXIX in membranaceo codice, bonae utique notae & undecimo seculo forte attribuendo, descriptae. Uno vel duobus seculis antiquiora existimes, (si Celeberrimi MONFAUCONII in *Palaeographia Graeca* (r) adductis speciminibus standum) *Menologia* duo, quorum alterum in membrana formae quadratae exaratum est, & *Sanctorum* a mensē Martio usque ad finem mensis Augusti *Vitas* conciso stylo expositas complectitur, alterum pariter membranaceum volubiliori calamo, sed copiosiori stylo expressas continet *Vitas* aliquot *Sanctorum* mensis Decembris, nempe S. *Clementis*, SS. *Barbarae & Julianae*, S. *Nicolai*, S. *Ambrosii*, S. *Annae*, SS. *Hermogenis* atque *Eugraphi*,

(q) l. c. p. 624.

(r) Lib. IV. C. 3.  
p. 277. seqq.



*graphi, S. Danielis Stylitae & S. Spyridonis, &*, quam COTELERIUS e membranis Colbertinis edidit, Vitam *S. Sabae*. Tres hi Codices, cum octo aliis, tam in pergamena, quam in bombycina charta scriptis JO. PHILIPPI KUSTNERI & JO. GEORGII SIBERI, Senatorum dignissimorum, eximio erga hanc Bibliothecam affectui debentur. Qui vero mox insequitur Codex chartaceus, recentioris aevi est, & S. ATHANASII *Expositionem in Psalmos*, e codice Bibliothecae Augustanae ab ELIA EHINGERO, Rectore istius Gymnasii, transfumtam exhibet. Munus fuit supremo sacrorum in Saxonia quondam Praefuli D. MATTIAE HOE ab HOHENEGG A. MDCXXX missum. E profanis scriptoribus elegantissimo literarum ductu mirifice se commendat Codex bombycinus, in quo HERONIS *Alexandrini Pneumaticorum libri II* scripti apparent. Differunt illa in plurimis a Parisina editione A. MDCXCVIII, aliamque capitum distinctionem, alias etiam vasorum instrumentorumque formas adpictas ostendunt. Ejusdem materiae, sed multo vetustioris scripturae est codex, qui *Sophoclis Tragoedias* tres priores, *Ajaxem, Electram* atque *Oedipum*, cum scholiis marginalibus & interlinearibus ineditis asservat. Huic proxima GENESII *Historia Rerum* ab initio Leonis Armeni Imp. usque ad excessum Basilii Macedonis gestarum necdum impressa, quam JO. ANDR. BOSIUS, patriae nostrae insigne decus, e membranis Bibliothecae Paulinae manu sua descripsit, cui etiam TH. REINESIUS, elegantioris literaturae stator quondam & vindex, varias emendationes & conjecturas ad marginem allevit, magno usui futuras, si quis eam, quod enixe vovemus, publicae luci tradere vellet. Manuscripti loco habenda erit ARSENI, *Archi Ep. Monembasiae*, collectio Apophthegmatum Romae in membrana perquam nitide excusa, quippe cui laudatus Reinesius innumerabiles notas adscripsit, fontes, unde sua hausit Arsenius, acutissime indicans, nec pauca emendans. His merito jungimus quorundam Auctorum e graeco in latinum sermonem transla-

D

tiones



tiones, inter quas XENOPHONTIS *de dictis & factis Socratis* haud indoctum prodit interpretem. STRABONIS versio integra non est, sed a libro XI demum usque ad finem pergit. Pulchre est descripta, nec minus illa quam de PLUTARCHI Opu- sculis aliquot JOANNES *Pannonius*, postea *Ep. Quinque Eccles.* & quidem manu sua dedit. Non idem affirmari potest de PROCLI *Commentario in Parmenidem Platonis* in VII libros diviso, qui ta- men anecdotis sociandus, ideoque pretio suo haud indignus. Ad *Latinos* codices quod spectat illorum magna nobis suppetit copia, atque inter eos excellit *Biblicus*, in holoserico rubro compactus, & ora deaurata resplendens, munus egregium BENJAMINI JACO- BI, J.Cri & Praetoris hujus urbis celebratissimi. Membranae ac- scriptionis venustas mira in eo deprehenditur, nec is aetate caret, ut pote quam ad A. MCCLXXIII referre potest. Alter ab hoc tam minutis literis est exaratus, ut aciem oculorum illae hebetent. Veteri Testamento subjectum apparet, sed longe alia scriptura expressum, *morale somnium Pharaonis ad Theobaldum, Navarrac Regem, Campaniae ac Briae Comitum Palatinum*, quod WAGEN- SEILIUS, e cujus Bibliotheca ad nos transiit, jamjam evulga- vit. Tertius tenuissimis membranarum ac constantissimo litera- rum ductu est contextus, initialibusque elementis pulchre exor- natus. Istud quoque habet praecipui, ut stemma Christi genea- logicum LUTHERI manu designatum, in fronte gerat prae- fixum, atque ab ipsius filio JOANNE ERNESTO, Illustriss. Cellissimoque Principi Dn. AUGUSTO, Duci Saxoniae, post- ea Electori, tum temporis Postulato Administratori Episcopa- tus Numburgensis, in subjectissimi animi signum oblatum fu- erit. In praesenti vero MAURIT. GEORG. WEID- MANNUS, Bibliopola non incelebris, ad quem hic Codex justo titulo transmigravit, tesseram eum esse voluit enixae suae in hanc Bibliothecam voluntatis. Haud minoris momenti ha- benda sunt S. AUGUSTINI Operum Volumina nonnulla membranacea, recentiore licet manu efficta, inter quae *Opus ejus*

de



de *Civitate Dei* & integritate sua, & lectionis facilitate, oppido commendari oportet. Adest quoque EUGEPIL, *Abb. Africani*, *Excerptorum e S. Augustini scriptis* Liber, PROBÆ cui-dam dedicatus, quem JO. HEROLD Basileae A. MDXLII, Roberti Winteri typis, describi fecit. Noster autem Codex, qui membraneus, & multae certe aetatis est, editum exemplar duobus capitibus, videlicet de *Origine vel errore haeresis Donatistarum*, ex libro ejus de haeresibus, & de *animae quaestione* ex Epistola ad Optatum desumptis, superare videtur. De LACTANTII Operibus, in charta scriptis, literisque initialibus obryzo fulgentibus, de CASSIODORI *Expositione in Psalmos*, de GREGORII *Homiliis, Moralibus in Jobum, Comment. in Ezechielem*, HAYMONIS *Explicatione Epistolarum D. Pauli*, de *Collectionibus Canonum, Epistolis Pontificum, Martyrologiis, Ritualibus ac Liturgicis*, aliisque scriptis *Ecclesiasticis* jam nihil urge-mus, sed tempestiviori examini eadem reservamus. Acqui-escimus potius in rebus patriae, *Statutis*, sc. seu *Constitutionibus Canonorum Regularium Ordinis S. Augustini, S. Thomae in Liptzk, a Joanne Mersburgensi Episcopo* A. MCCCCXLIV confirmatis, quae archetypon quoddam jure venditari possunt.

E profanis autoribus primas sane deferimus Principi Hi-storiae Romanae, T. LIVIO, cujus *Decades* hic in membrana, non quidem nimis antiqua, sed legibili satis manu perscriptae exstant. Literas primas auro ac figuris, pro aetatis, qua effi-ctae sunt, modulo fulgidas ostendunt, inque L. XL & verbis orationis Demetrii: *imponerent Macedoniae Regem*, finiunt. OVIDII, VIRGILII, HORATII, LUCANI, SILII ITALICI, POMP. MELAE, STRABI, elegantissima e-xemplaria membranacea, in scrinia nostra quoque concesserunt. POMP. FESTUS & M. TERENTIUS VARRO de *Lingua Latina*, uno eodemque volumine juncti papyraceo, uberrimam messem suppeditabunt variarum lectionum, qui novam forte editio-nem eorum moliturus sit. COLUMELLA de *Re rustica* in



(s) Biblioth.  
MSS. p. 45. &  
306.

charta non minus est descriptus, ac recentioris aetatis; at antiquitati quod decedit, characteris nitore abunde pensat. Anecdotorum catervam augent *Glossae Latinae in MARTIANUM CAPELLAM* membranaceae, in principio tamen uno folio truncatae, quae, num eadem censeri debeant cum iis, quas LABBEUS (s) citat, vel sub nomine *expositionis SCOTI E-rigenae* laudat, tuto hariolari non licet. Id liquido satis constat, Scholiaften ibi nobis sisti, & Mythologia antiqua, & Philosophorum veterum placitis haud proletarie imbutum. Hisce jungendum HONORII, *Augustodunensis Philosophi*, opus Philosophicum, *Clavis Physicae* inscriptum, cujus tamen foliorum quorundam mutilationem non immerito dolemus. E Cl. PUTEANI Codicibus transcriptos quoque tenemus *Autores rei agrimensoriae*, diversos plurimis in locis ab iis, quales RIGALTIVS & GOESIVS publicae luci exposuere, sicuti in hoc manipulo & inediti quidam, EPAPHRODITVS, VETRUBIVS RUFVS, NIPSVS, & HYGIVS *Gromaticus* nomina sua profitentur. Ex eodem puteo haustae sunt *Emendationes ad Porphyriionem*, HORATII Commentatorem doctissimae, dignae sane, quae in vulgus mittantur.

Sed aures vellicant *Historicae Antiquitates*, quarum monumenta praestantissima, & fidei plenissima in tabulariis nostris custodimus. Antesignani hic locum obtinet famosum illud *Chronicon Schwartzabense*, seu *Schwartzheimense*, membranae satis distincte inaratum, quale etiam in celebri Guelpherbytana Bibliotheca asservari, atque in Jenensi quoque bis latere, nos amica manus docuit. Enarrat autem hic noster Codex Historiam rerum, a PROCA Albanorum Rege, usque ad A. C. MCXXVI in orbe gestarum, pluraque etiam & correctiora & meliora suggerit CONRADI, *Vrsbergensis Abbatis*, Chronico, quod inde excerptum esse constat. Sequitur JO. WILHELMI de ARNSTEIN, *Clerici Herbipolensis*, *Compendium Chroniconum* ab orbe condito ad A. C. MCCCLXXX, quo



quo CAROLUM IV. Imp. obiisse meminit, perductum. Char-  
 taceus hic Codex, multaque alia non vilipendenda recondit.  
 His adjungendi PETRI de VINEIS, Aulici illius infelicissimi,  
*Epistolarum Libri VI*, partim in charta, partim in membrana  
 conscripti. In calce accedunt URBANI & BONIFACII,  
 Pontificum *Epistolae*, itemque *Conquestio de miseria ejus*, quae  
 in impressis haud inveniuntur. JACOBI de VITRIACO  
*Historia Hierosolymitana*, fatis quidem vulgata est, at quae an-  
 nexa illi *Magistri THADAEI, Civis Neapolitani, Historia de*  
*desolatione & conculcatione Civitatis Acron & totius terrae san-*  
*ctae* A. MCCXCI in civitate Messana composita, Clariss. W A-  
 GENSE ILIO, qui hunc Codicem possedit, reliquiarum hu-  
 jusmodi collectoribus incognita fuisse putatur. *Origo & Ge-*  
*nealogia Principum Clivensium Ursinorum, virtute maxima*  
*semper florentium*, uti inscriptio operis se habet, latine prola-  
 ta est ad A. C. MCCCLX; reliqua pars vernaculo sermone  
 continuata, at imperfecta relicta. Insignia gentilitia, vivis co-  
 loribus picta, passim ostendit, atque cum multis aliis donis Ex-  
 cellentiss. Dn. QV. SEPTIM. FLOR. RIVINI, Jcti sum-  
 mi, ac Civitatis hujus Proconsulis amplissimi, optimeque meri-  
 ti, favorem erga Bibliothecam nostram plane egregium testa-  
 tur. Parem quoque benevolum declaravit affectum, vel cum in  
 lecto haereret emortuali, Vir spectatae eruditionis & virtutis,  
 LEONHARTUS BAUDISIUS, Jctus excellens, ac Praetor  
 hujus urbis, quamdiu vixit, longe merentissimus, dum ab avi sui,  
 LEONHARTI KRENTZHEIMII, quem, amicitia cum  
 PEUCERO, PIERIOQUE contracta, apud Lignicenses Du-  
 ces, quorum res Ecclesiasticas summa cum dignitatis praecellen-  
 tia moderabatur, maxime fatali odio oneravit, in temporum ve-  
 ro calculo rite formando experientissimum judicavit arbitrum  
 docta illa aetas, *Opus Chronologicum* autographum, VII volumi-  
 nibus eleganter compactum, at X libris distributum, scriniis no-  
 stris perquam liberaliter intulit. Chronologiam illud univer-



falem ab origine mundi usque ad A. C. MDXCVI deductam exhibet, cujus nucem quasi Germanica lingua ipse KRENTZHEIMIUS Görlicii A. MDLXXVI prodire voluit; multo uberiorem tamen Historiae tam Civilis quam Ecclesiasticae apparatus in hoc autographo offendas, unde plurima in rebus istius seculi, alibi haud facile obvia, nec ab ullo forte scriptorum consignata, petere liceat.

Inter Codices MSStos, *Germanica* lingua exaratos, atque haud vilioris pretii, quam praecedentes aestimandos, & mole & magnitudine sua excellit *Liber Biblicus*, *Pentateuchi*, *librorum* item *Josuae*, *Judicum*, *Ruth*, *Samuelis*, & *Regum* antiquissimam, juxta Vulgatam latinam tamen adornatam, versionem continens. Codex est membranaceus, distincto & grandiusculo caractere scriptus, atque picturis pro barbari istius aevi genio illustratus. Cui jungendum erit *Evangelistarium*, a STEPHANO quodam, dicto *der Pfolnchover*, uti in calce notata subscriptio docet, A. MCCCXXVII vigilia S. Laurentii confectum, in quo multas patrii idiomatis ex medio aevo reliquias detegent harum rerum curiosi. Paulo antiquius illo habendum est Poëma satis prolixum, cui titulus *Cursor*, seu *der Renner* impositus, quodque HUGO de TRIMBERG, ut abusus atque vitia seculi sui, in singulis vitae generibus occurrentia, sale perfricaret, A. MCCC composuisse dicitur. (f) Editum jam fuit A. MDXL in fol. Noster vero hic codex, qui papyraceus, A. MCCCXIX die Dominica ante Festum Pauli Confessoris scriptus apparet, pluribusque figuris diversicoloribus lepidissimis, pro istius aetatis modulo, distinguitur. Haud deterioris conditionis, licet severioris argumenti, sunt aestimanda tot *Juris Provincialis*, *Feudalis* & *Municipalis Saxonici* volumina, cum glossis suis sub initium vel medium seculi XV in papyro conscripta, e quibus haud proletaria, in Jurisprudencia domestica usum allatura eruas. Difficillimae lecturae est *Monachi Pirmensis Onomasticon Historicum*, secundum

Al-

(t) v. MOR-  
HOF. de Germ.  
Lingua p. 351.



Alphabeti feriem A. MDXXIX contextum, ac Sereniff. Principi GEORGIO, Saxoniae Duci, ut praefatio docet, inscriptum. Codex ipse, quem posidemus, chartaceus est & avtographus Autoris existimatur. Quis vero ille fuerit, inter GEO. FABRICIUM atque PETR. ALBINUM, (t) patriarum antiquitatum scrutatores ac vindices felicissimos, non satis convenit. Ille enim MATTHAEUM SARTORIUM, hic JOANNEM LINDNERUM eum vocat. In hoc concordant, Monachum fuisse Dominicanae familiae, Pirnae commorantis, valde industrium, qui e plurimis Chronicis, Commentariis, aliisque tam nostrarum quam exterarum regionum monumentis literariis, Regum, Principum, Personarum ac Familiarum illustrium vitas & res gestas; Regnorum item, Provinciarum, Urbium, Castrorum, Coenobiorum &c. origines ac vices miro labore ac diligentia, sed impari judicio, juxta literarum numerum consignaverit. Uterque etiam, multa omnino in hac farragine reperiri ab aliis non memorata vel praetermissa, sibi que in concinnandis operibus suis ingentem praebuisse usum, haud dissimulat. Apographa hujus libri olim extitisse in Bibliotheca Electorali Dresdensi, nec non in Paulina & Senatoria Zwiccaviensi, quae jam, incertum quo fato, ibi desiderentur, a viro harum rerum callentissimo compertum habemus, qui & nostrum codicem, cum in bello tricennali urbs Pirna ab hostibus diriperetur, vix interitum effugere potuisse simul affirmat. Merito igitur gaudemus de acquisito isto cimelio, nec minus fortunas nostras laudamus, quod alia adhuc nondum impressa scripta historica nobis obvenerint. Inter illa eminent JO. AVENTINI, Clarissimi viri, & quo nemo melius de antiquitatibus Germanicis meritis est, opuscula vernaculo sermone texta, Libellus sc. de *origine Urbis Ratisbonae*, de *veterum Romanorum disciplina militari atque expeditionibus Christianorum Saracenicis*, & de *causis Turcicae potentiae*. Prior horum A. MDXXXII d. XI Apr. in Comitii Reginoburgicis CAROLO V Caesare, semper

(n) v. Chron.  
Provinc. Misn.  
P. 344.



per Augusto, & FERDINANDO Rom. Rege praesentibus; posteriores duo A. MDXXXIX ab ipso confecti indicantur. Succedat DAVIDIS WOLLEBERI, *Schorndorffensis, Historia & Chronica Principatus Wurtembergici* ab A. C. DCCCXLIII usque ad A. C. MDLXXXVIII deducta atque Amplifl. Senatui urbis Imperialis Noribergae dedicata. Opus dixeris multa cum cura, nec minori cum judicio elaboratum atque expolitum, in quo praeter Comitum ac Ducum Wurtembergium historiam & vetustissimorum Principatum, Comitatum & Dynastiarum *Teccae, Urslingae, Sueviae, Allemanniae, Tubingae, Vraci, Neuffiae, Herrnbergae, Pfulingae, Calvae, &c.* antiquitates eruderantur, atque in lucem protrahuntur. Totum interstinctum est armis gentilitiis, heraldico more, & pulcherrime quidem depictis: dignissimum sane, quod in patriae historiae studiosorum gratiam typis excubatur. Latus ejus claudit ANTONII HATTSTEINII, *Designatio Genealogica Stemmatis Comitum Hanovienfium*, ab A. MCCCCXXIX usque ad A. MDLXXXIX, quae tamen paulo concisior est, & nudo fere tantum nominum utriusque sexus Comitum indicio defungitur. Adfunt & bina exemplaria *Chronicorum Noribergensium* accuratissime scriptorum, itemque haud pauca volumina res *Saxonicas, Marchicas, Magdeburgicas, Halberstadienses, Mansfeldenses, Thuringicas*, quin & *patrias* mirifice illustrantia, quae tamen, prolixitatis nimiae vitandae causa, in scenam jam producere haud vacat.

Unicum adhuc verbum adiiciamus de MStis *Hispanicis*, Wagenfeiliana collectionis gemmis. Ex iis laudare par est *Chronicon Regum Hispaniae* a VEREMUNDO III usque ad ALPHONSUM X pertextum. Codex est membraneus ac robustissimae compacturae. Papyracei sunt duo alii, quorum alter *Doctrinal de los Cavalleros*, seu *Farraginem Legum Ordinis Equestris*, quatuor libris distinctum, alter *Seneae Epistolarum* translationem continet. Plus raritatis habet *Fororum* seu *Legum regni*



*Regni Valentiae* a JACOBO f. JAIMO Magno A. MCCXXXIX promulgatarum collectio, quam praestabiliorem reddunt adjecti *Fori Novi* s. ALPHONSI III. R. leges A. MCCLXXXIX sancitae, de quibus oculatissimus harum rerum indagator, GERARD. ERNEST. deFRANKENAU in *Themate Hispana* (t) consuli meretur. Codex noster partim e membrana, partim e charta bombycina constat, & antiquitatis notas plurimas ostendit. De *Italicis* ac *Gallicis* Codicibus, jam nolumus esse solliciti, sed commodiori tempore illos potius assignamus.

(t) Se&. X. §. I.  
seqq.

Splendidiorem vero huic penso coronidem imponere haud possumus, quam *Diplomatum* atque *Instrumentorum* membranaceorum, quae scrinia nostra ornant, indicio. Ut ab hac etiam parte beati sumus, effecit Magnifici, patriaeque suae amantissimi Consulis, ADRIANI STEGERI, cujus memoriam & collaudant exteri, & reverenter nunquam non habebit civitas nostra, propensissimus, multisque aliis modis nobis cognitus in hanc Bibliothecam affectus. Triginta itaque & unum hic cernas Pontificum, Imperatorum, Episcoporum, Principum, Abbatum, Nobiliumque Diplomata, Praecepta, Chartas &c. in membrana probe exarata, atque bullis & sigillis suis maximam partem munita, antiquitate sua veneranda, cum horum aliqua ad finem undecimi, principiumque subsequenter seculi ascendant. Pretium adhuc auget vetustissimus & vere Carolingicus, qui in primis lineis saepe occurrit, longiusculus literarum ductus, simillimus ei, qualem JO. MABILLONIUS in incomparabili opere *de Arte Diplomatica* (u) exhibuit. Respiciunt autem illa potissimum res *Martisburgenses*, *Numburgenses*, *Pegavienses*, *Monasterii Montis Sereni*, aliorumque locorum, qui in vicinia sunt siti, adeoque multum lucis antiquitatum patriarum satagentibus foenerare possunt.

(u) L. V. Tab.  
26. seqq.

Ordo rerum nos jam deducit ad *Numophylacium*, cujus corticem supra, in principio hujus discursus, delineatum dedimus, opus itaque ut nucis hic non simus immemores. Tam-



etsi enim opulentissimis atque instructissimis illis, quae, non dicam, in exteris regionibus, sed in Germania tantum nostra habentur, aequiparari id neutiquam possit; quo vis tamen pignore certare ausim, quam plurimos hic ex omni metallo inveniri numos, & argumenti, & inscriptionis & artis excellentia rarissimis adnumerandos. Debentur ii indefesso ardori multorumque annorum curae atque investigationi Clariss. Virorum paris, HEINRICI MEYERI, nec non CHRISTOPH. DAN. FINDEKELLERI, quorum integrae collectiones, haud medicorum pretio coemtae, egregia statim initia copiis hisce parandis suppeditarunt. Accessere quotidie nova supplementa, tam viritum, quam manipulatim conscripta, quibus tandem quinque millium veteranorum, & Graecorum, & Romanorum, ac horum quidem in Consulares atque Imperatorios divisus exercitus comparari potuit. Ex aureis, quorum numerus ad centum & quadraginta excrevit, memorabiles maxime sunt duo *Philippi*, cum bigis in averfa parte, insigni arte percussi, quibus e Romanis jungendi *Jul. Caesaris* numus, qui caput ipsius in uno latere additis verbis: IULIUS CAES DICT PERPETVO, in altero Apollinem cum lyra, sedentem ante pilam, in quam clypeus cum galea armisque reclinat, addito flore repraesentat: item *Antoniae, Drusi Germanici* conjugis, qui pariter caput ejus & verba: ANTONIA AVGVSTA in anteriore facie, in posteriore vero duas caedas s. faces erectas, corolla junctas, cum inscriptione: SACERDOS DIVI AVGVSTI exhibet, numus utique in auro rarissimus. Tum *Macrinus* Imp. cum *Diadumeniano* filio uno eodemque numo expressus: Porro duo *Postumi*, quorum alter imaginem Augusti cum epigrapha: POSTVMVS PIVS AVGV templumque in averfa facie, cujus medio Victoria, vel alia Dea quaedam, novo caractere profunde impressa est, additis literis PM TRP VI COS III PP ostendit; Alter, *Postumorum*, Patris & filii jugata capita verbaque: POSTVMVS.



MVS PIVS FELIX AVG in uno quidem latere, in altero binas figuras muliebres pectore tenens, unam alatum palam tenentem, alteram brachio exerto fertum monstrantem, Pacis & Victoriae forte emblemata, cum verbis: FELICITAS AVG. præ se fert. Argenteos atque aereos antiquos, ut multis rarioribus quoque stipatos, missos jam facimus. Est nobis pariter series *Imperatorum Occidentis*, ex argento in primis, a CAROLO M. usque ad JOSEPHUM gloriosiss. memoriæ continuata, & tantum post FRIDERICUM II atque CAROLUM IV paululum interrupta. Est quoque *Pontificum Romanorum* series, inter quos HADRIANI I & LEONIS III denarii, omnium antiquissimi. *Bracteatorum* optimae notae, tum aliorum mediæ aevi numorum ingens nobis etiam est multitudo, de quibus alia occasione plura proferre licebit. Nec ignoramus *Asiaticæ* monetae diversâs species, quas singulas hic proponere nimis longum foret. Ex *Arabicis* quorum duodecim, tum aureos, tum argenteos, elegantissimo charactere, & Cufico partim signatos possidemus, antiquissimos arbitramur duos argenteos, quorum priorem cudendum curavit ABUL ABBAS, primus Chalifae Familiae Abbasidarum, qui A. Hegirae CXXXV hoc est, juxta Christianorum aeram DCCLVII ELMACINO (x) obiisse dicitur. Illius una pars inscriptam habet solennem Mohammedanorum formulam; *Non est Deus nisi unus, qui nullum habet socium.* Altera vero: *Abul Abbas Princeps fidelium.* Secundum fieri fecit ALMUTAMID ALALLA, Abbasidarum decimus quintus, qui, referente eodem Elmacino (y) A. Hegirae CCLXXXIX, h. e. Christi DCCCCI e vita decesit. Epigraphen habet una ex parte formulam Mohammedanorum modo indicatam; quae in altera continuatur, ubi & nomen Chalifae exprimitur hoc modo: *Mohammed est Legatus Dei. Almutamid Alalla.* Restant adhuc recentiora Numismata, in singulis Europae regnis ac provinciis a tribus & amplius seculis percussa, quo-

(x) Histor.  
Sarac p.94 ed.  
Erpen.

(y) l. cit. p. 175.



rum magna vis, tum aere redempta, tum plurimorum Illustrium atque Nobilissimorum Virorum liberalitate huc confluxit. Sed illis pro dignitate explicandis plures commentarii non sufficerent. Quo minus autem numophylacium nostrum plane deseramus, faciunt imagines ac signa quaedam fusilia, hic simul reposita, faberrime sane efficta. Inter ea *Serapidis & Mercurii* sigilla, tum *Genii* amphoram tenentis, ac *Sacerdotis*, cum patera libatoria, icones inprimis delectant. Proxime visitur As elegans veterimus, triente aliisque minoribus partibus stipatus. Omnium vero maxima copia prostat *Vasorum sepulchralium*, *Urnarumque* demortuorum cineribus asservandis destinatarum congeries, tanto jucundior gratiorque visu, quanto certior moris antiqui vel in nostris quoque regionibus cadavera comburendi testis est. Omnia enim, si pauca forte exceperis, in agris vicinis Iteburgensi & Brausvigensi fuere effossa, cineribus ossibusque repleta. Quaedam ansas habent & interstitia & strias, quaedam vero illis destituuntur. Nonnulla supellectilis aliquid, acus, fibulas, cultros, annulos &c. puta, in cavitate continuere sua viridi colore undiquaque obductum. Quin & maxime notanda, aviculae ficulneae, in uno pede stantis, figura, inter duos lateres prope huiusmodi urnam quandam reperta. Quid monstri eadem alat, nostrum non est divinare. Si quid tamen conjecturis dandum, Isidis aviculam eam interpretaremur, praeunte hic nobis KIRCHERO; (z) maxime cum Isidem a Germanis cultam fuisse gravissimus autor sit TACITUS (a) & huiusmodi etiam icuncula in Aegyptiorum feretris f. equantissime conspicitur, que madmodum & in inferiori parte loculi, qui Mumiam nostram recludit, talis figura exsculpta apparet. *Mumiae* huius dum mentionem facimus, non possumus, quin Excellentiss. Donatoris: jus, SAMUEL FRIDERICI RAPPOLDI, Potentiss. Poloniarum Regi quondam a Consiliis Camerae, iudicium omnibus laudibus prosequamur, quod pretiosissimo hoc peregrin-

(z) in Oedipo  
Ægypt T. III.  
p. 129 sequi  
(a) de Mor.  
Germ. §. 9.



grinae antiquitatis thesauro Bibliothecam nostram dotare voluit. Omnium illam, quas quidem videre contigit, maximam arbitramur juxta atque elegantissimam. Tres cubitos quippe longa est, & duos quadrantes cum dimidio lata, arundini marinae imposita, & si foramen, quod infra collum cernitur, excipias, integerrime servata. Fasciis a pectore usque ad pedes involuta, & asphalto fragrantissimis aromatibus intermixto tota oblinita cernitur, ac propter uberum protuberantiam sexum foemini- num præ se fert. Integumentum, seu exterior ejus amictus e lino & papyro arctissime conglutinato constat, in quo plurimae antiquissimae figurae hieroglyphicae, quas totius Mythologiae Ægyptiacae mysteria pandere dixerit Kirchero similis quidam, rubro, aureo, flavo, coeruleo ac viridi colore pulchre variegato pictae deprehenduntur. Feretrum vero ipsum, quod omnia ambit, ex asseribus ligni Sassafras excisum est, ejusque infima pars adeo lata, ut illi, si Mumia erigi deberet, tanquam basi commode inniti posset. Unico verbo ut plura complectar, munus est omnibus raritatis numeris absolutissimum.

Supereft adhuc amplissima illa rerum, qua *Naturalium*, qua *Artificialium*, hic concinne repositarum ubertas, quam tamen pro cujusque pretio ac dignitate explicare difficillimi pensi foret. Videas hic præcipue Magnifici Viri, PAULI WAGNERI, ICI excellentissimi, & Consularibus fascibus, quos in hac civitate multoties & summo cum applausu gesfit, celeberrimi, jam p. m. splendidissimum monumentum. Octodecim nempe prae- grandia volumina, *Tabularum* a præstantissimis artificibus, quos superior aetas, & haec nostra tulit, *aeri incisarum*, in quibus col- ligendis atque ordinandis non mediocres pecunias & complu- res annos impenderat Vir laudatissimus. Quos tamen ille The- sauros, potiorem Bibliothecae hujus multis a se jam beneficiis af- fectae, quam propriae voluptatis rationem habens, tum suo, tum liberorum suorum nomine, inter quos GOTTFRIDUS WA-



GENERUS, Senator atque Aedilis prudentissimus, beneque merentissimus, iisdem vestigiis gloriosis strenue insistit, prioribus accumulavit. Videas porro JOH. JACOBI KAESII, Cursus publici quondam Magistri supremi atque Aedilis spectatissimi, donarium, *Cornu* sc. *Monocerotis* marini perquam elegans, longitudine quatuor ulnas superans, ac caelatura figurarum humanarum, variis arborum ramis insidentium admirandum. Videas denique adeo largam uberemque rerum *mineralium*, *fossilium*, *conchyliorum*, *arte praeparatorum*, quin & *instrumentorum ad Mattheos Studium* pertinentium messem atque foeturam, ut dubius haereas, quid magis mireris: utrum earum amplitudinem ac praestantiam, an vero tot Illustrium Clarissimorumque donatorum, quorum nomina chartae angustia non capit, nos autem gratissimo animo semper exosculabimur, virtutem egregiam ac sine exemplo munificentiam.

At vero tot praestantissimis, quae huc usque memoravimus, ingenii, antiquitatis, artisque monumentis ornata vix conspiceretur Bibliotheca nostra, nisi ejusdem & conservandae, & amplificandae curam in Virum Magnificum atque Excellentissimum, GOTTFRIDUM GRAEVIUM, Consulem hujus Reipubl. longe meritisimum provida Patrum sollicitudo contulisset. Qui cum ad praeclaram rerum civilium peritiam, & omnium generis eruditionem, singulare atque immensum rei literariae promovendae studium adjunxisset, omnem suam operam, omne, quod a gravioribus negotiis restabat, temporis spatium in eo collocavit, ut libris, tum typis impressis, tum calamo exaratis, aliisque rebus ex omnibus fere angulis terrarum conquisitis, posteritatis commodo prospiceret & Bibliothecae decus auget. Quamobrem ab omnibus, qui & nunc luce fruuntur, & sero post nos venturi sunt, literarum amatoribus, non minores, quam Fratri ejus celeberrimo, qui Belgium totumque Orbem eruditum scriptis doctissimis illustravit, ac immortales ei gra-



gratiae debentur, quas etiam publico nomine ipsi lubenter ac devinctissimo studio exsolvimus.

Nunc ubi Bibliothecam suam ita perfectam atque exornatam, Amplissimus SENA TUS, & qui fasces huc usque maximo cum reipubl. commodo tenet Magnif. CONSUL, animadvertit, ut omnium oculis cum fructu exponi posset, alienum ab officio suo fore arbitrati sunt, si thesaurum tam egregium, tanto judicio, tantis laboribus atque sumptibus collectum, non secus ac Rhodii suum Abaton, sibi tantum servarent, & quosvis alios ab illius aditu arcerent. Ut igitur, quam antea in templis scholisque instaurandis, & in sacro Dei cultu ampliando industriam Magnificus PLAZIUS adhibuerat, eandem quoque in artium optimarum studiis hoc modo sublevandis ostenderet; non prius quievit, quam Bibliothecam, sua etiam liberalitate auctam, cum fidis atque modestis Musarum cultoribus communicari, unanimesensu, Patres decernerent, adeoque unum illud, quod ad urbis elegantissimae honorem adhuc deesse videbatur, summa cum laude adjunxit, ac Consulatum suum, memorabili hoc facto, velut obsignavit. Illius virtutis aemuli, AEDILES Nobilissimi nihil praetermiserunt, quod ad ornandam variis structuris Bibliothecam, & salutare Senatus consultum celerius exequendum maxime pertineret.

Quod igitur felix, faustumque atque universo literato orbi proficuum sit, venit jam tempus aperiendae Bibliothecae prudentissima Patrum sententia destinatum. Adeste ergo, quorum res jam agitur, Bonae Mentis Cultores, adeste qui studiorum gratia hic commemoramini, & in spem patriae adolescentis, Nobilissimi Juvenes, adeste fruituri, singulis hebdomadibus, Mercurii & Saturni diebus, hora secunda hac, quae vobis liberaliter offertur, benevolentia, & si me ante convenientes nomina vestra professi fueritis, quaecunque vobis humanitatis officia pollicemini. DEO vero TER OPTIMO MAXIMO, cujus propitiae in nos voluntati

cun-



cuncta tribuimus, omnia ad Sanctissimi Nominis sui gloriam  
 convertat, idque praestet, ut Bibliotheca, quam Spectabilis ORDO  
 huc usque, non secus ac filiam, tenerrimo affectu profecutus est,  
 solliciteque fovit, ita crescat ac viribus augeatur, ut liberalissimi  
 Nominis GROSSIANI mensuram impleat, & nos ex illo non va-  
 num omen captasse videamur. P. P. Lipsiae Prid. No-  
 nar. Augusti A. R. S. MDCCXI.



C  
 ER  
 M  
 RID  
 ELI  
 REC  
 O. CH  
 PROFESS  
 PHI  
 IPSIS  
 ERV  
 CASP A



